

ALBERTVS 2. AVSTRIAЕ DVX.



Albertus filius fuit Alberti primi ducis Austriae ex Habsburgensiū familia, Romanorū regis, & Elizabethæ Carinthiæ ducissæ. Erat is felici ingenio præditus, uerùm ex altero pede claudicans. Itaq; parentes eum sacris initiandis in iuuētute tradiderunt. Cum autem Rhodolphus, Heinricus, Otto, Fridericus, & Leopoldus huius Alberti fratres sine prole mascula obiissent, ne huius stirpis posteritas deesset, Ioanna pfirtarū comitis Huldrici filia ei desponsata fuit. Hic Albertus Austriae dux declaratus, multos Suevorū nobiles secum in Austria perduxit: in primis uero Comites de Tierstein, qui pōst de Eberstorff dicti sunt. prēterea Comites de Vualsee, & dominos de Missauu, & Mareschalkos de Reichenauu.